

Johann Georg Wagner


Decas Positionum De Praxi Papizante In Materia Matrimoniali

Rostochii: Typis Ioan. Iacob. Adleri, [1739]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1699807353>

Druck Freier  Zugang





N. K. - 2 (84.)

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.

1. Bechmann de coronae opibus.
2. Pompejus de iurae circa futura
3. Vibriand de liberatione fideiusorior ante solutionem
4. Vibriarius de iure principum.
5. Eckhold ius maiestaticum imperatoris Rom. Germ. in regno Germaniae
6. Lyncker de forma sive statu S. R. Imperii
7. Lyncker de idioma imperiali
8. Thomarius de sponsione Romanorum caudina.
9. Preziger de serenissimo potentissimoq; duobus Brunovicensibus et
Luneburgensibus.
10. Preziger ius maiestatis circa bellum et pacem.
11. Lyncker de superioritate territoriali.
12. Lyncker de libertate statuum imperii
13. Fulpir de placitis ordinum imperii. Unifigüthhu.
14. Feirichbein a Kleeberg de interesse quod ex mercatura in rem publicam
redundat.
15. Thomarius de feudis oblativ.
16. Bechmann de belli commercior
17. Engau de poenis in tutore petendo negligentium
18. Engau. Programma 7. de librorum quos subhiisq; dicere solemus; for-
ma, continuatione, renouatione fideque varia.
19. Wagner de praxi papizante in materia matrimoniali.
20. Lyncker de partu supposito.
21. Gärtner de intercessionibus mulierum.
22. Quistorp. quid in concursu sponsoriorum dispensandorum atque
priorum cum non dispensandis posterioribus potum sit circa
praelationem.
23. Estor de divorcio praesertim personarum diversae religionis. il-
lustrium in Germania.
24. Pessel de successione inter conjuges ab intestato.
25. Warnemünde de consensu parentum in nuptiis liberorum
per magistratum supplementatione.
26. Gribner de incestu cum novercae matre nuptiis.
27. Troppanneger de mitiganda adultorii poena propter denegatum
debitum conjugale.
28. Wagenreil de comitiis universalibus S. R. G. Imperii
29. Lyncker de redintegratione circulo S. R. Imperii
30. Gribner de intercessione conjugum in delictis carnis inprimis cri-
mine bigamiae.

31. P. Müller de frigidulo. Rulhmanniguo Tribu.
32. Willenberg de matrimonio imparium.
33. a. Ludewig de matrimoniis principum per procuratores.
Orenna de matrimonio contracto per procuratorem.
a. Ludewig de sapient. fastidio ceremoniarum civilium
34. a. Wolzogen et Neuhau. de connubiis infantum inter illustres maxime
frequentativ.
35. a. Luberzig differentiae j. R. et G. in dote mariti. 1. morgengaba. 2. dotatio,
3. rituali ho. 4. melioratione.

DECAS POSITIONUM
DE PRAXI PAPIZANTE IN MATERIA
MATRIMONIALI,

QVAM
FESTIVIS NUPTIIS

VIRI PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI atque DOCTISSIMI,
DOMINI

JOACH. CHRISTIAN. KEDING,

J. U. DOCTORIS CELEBERRIMI, PATRONI AC FAUTORIS
COLENDI, SUSPICIENDI

CUM

PRÆNOBILISSIMA PARITER, AC OMNIBUS SEXUM ELEGANTIOREM
CONDECORANTIBUS VIRTUTIBUS ORNATISSIMA VIRGINE,
VIRGINE

WENDULA ABIGAIL BESELIN,

VIRI MAGNIFICI, PRÆNOBILISSIMI AC EXCELLENTISSIMI DOMINI,
DOMINI

VAL. JOH. BESELIN,

JCTI CONSULMATISSIMI, CONSULIS REIPUBLICÆ ROSTOCHTEN-
SIS GRAVISSIMI, MERITISSIMI, SYNDICI DEXTERRIMI ET
JUDICII PROV. AULICI ASSESSORIS EXTRAORDINARIJ
SPECIABILISSIMI &c. &c.

FILIA DILECTISSIMA UNICA,

QVÆ D. XVII. JUN. A. R. S. MDCCXXXIX.

ROSTOCHII CELEBRABANTUR,
MENTE DEVOTA

In tesseram pietatis ac observantiæ suæ gratulabundus,

DICAT AC CONSECRAT


NOMINIS BESELINIANI AC KEDINGIANI

CULTOR DEVOTISSIMUS,

JOH. GEORG. WAGNER, *Rostoch. L. L. Cult.*

ROSTOCHII,

Typis IOAN. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



QUum multis ex causis, Vir Prænobilissime, aliquas paginas Tuo Hymenæo dicare me obligatum video, ut non solum meam erga Te observantiam ac pietatem, sed & mentem gratam, Tuam erga me benevolentiam ac beneficentiam, quæ dudum me Tibi devinxisti, pectore recolentem devoto, facerem testatam: diu multumque mecum deliberavi, quæ potissimum scribendi materia, quæ & Scriptio: fini conveniens, Teque quodammodo digna existeret, uterer. Diu anceps hæsi, animusque fluctuabat, multis mihi occurrentibus thematicibus, quæ tamen partim studiorum meorum ratio, rerumque mearum status, partim temporis penuria Subsidiorumque missa facere me iusserunt. Nihilominus tamen pro mea, quæ in Te feror, observantia, facere non potui, quin aliquale pietatis in Te meæ *τεκμηρίον* exhibitum irem. Animum itaque meum ad projiciendas aliquas Positiones ex materia matrimoniali statim appuli, quæ & negotio huic, cujus in gratiam hæc scribo, maxime conveniunt, & voto meo, quod dudum conceperam de investiganda hac amplissima materia, quam, si conditio mea ferret, Dissertatione aliqua ulterius rimari, praxinque papiz antem demonstratum ire, decreveram jam multo abhinc tempore, quod ammodo satisfaciunt, ac insimul meæ assiduitatis & observantia: erga Te documentum esse possunt. Periculum proinde feci, & temporis angustia plura & exasciata prohibente, has positiones extemporaneas Tibi, hoc Tuo Nuptiali die, consecrare nullus dubitavi, spem fovens certissimam, fore, ut meam opellam qualem qualem æqui bonique, pro Tua, qua cluis, humanitate consulas. Sit itaque

POSIT. I.

Jus Canonicum & Jus Civile plane diversa, immo diversissima in materia matrimoniali fovere principia, rationesque deci-

decidendi diversas, neminem, qui inficietur, fore existimo. Cui enim ignotum, ex juris Papalis sententia, matrimonium esse Sacramentum? Proinde nec mirum, decisiones ac conclusiones, quoque huic principio conformes exinde elici, nimirum quod in dubio semper pro matrimonio sit pronunciandum, nec juramentum contra illud delatum admittatur. c. 34. X. de jurej. Jus Civile autem si respicimus, nullibi hæc principia Sacramentalitatis scilicet inveniuntur, proinde nec favor matrimonii tantus, ac quidem de jure Canonico, quem tamen communiter nimium quantum in praxi crepant, justoque latius extendunt, utque ita sæpissime, quamvis negato principio, conclusiones tamen ex eo fluentes suas incongrue satis faciunt.

POSIT. II.

Hinc quoque est, ut mirum in modum errent communiter in praxi, res ac notiones diversissimas inter se convenire ac synonymice capiendas esse putantes. Ex. gr. adducere liceat distinctionem inter Sponsalia de præsentis & de futuro. Qui enim fata hujus distinctionis, ejus originem progressumque investigaverit cum Illustr. BOEHMERO in *Diss. de incongr. praxi doctrin. de Sponsal. de fut. & de præf. in for. Protest.*, facile perspectum habebit, hanc distinctionem minime ad nostra fora trahi posse. Qui enim norit, eandem, Romanis ignoratam, ex male intellecta regula. L. 30. ff. de R. I. natam esse. HEINECCIUS in *Elem. ff. Tit. de Sponsal. §. CL.*, ut patrum quorundam, Sponsalibus vim matrimonii inesse credentium, sententiæ salvarentur, laudat. BOEHMER. *Instit. Jur. Can. Lib. IV. Tit. I. §. II. §. 3. not. 1.* qui mentem Juris Canonici, hujusque, distinctionis veram definitionem inspexerit, ac consideraverit Sponsalia de Pr. improprie tantum ipsi Juri Canon. Sponsalia dici, hæcque, quoad indissolubilitatem, jam instar matrimonii esse, multumque differre a Sponsalibus veris, & proprie sic dictis, scilicet de futuro, (puta conjugio); qui porro perspectum habuerit, hanc distinctionem, post *Concil. Trid. Sess. XXIV. de reform. matr. cap. I.*, nec apud ipsos Catholicos usum amplius habere, ideoque ipsis Pontificiis hodie omnia Sponsalia esse de futuro: facile cognoscet, multo minus inter Protestantes usum habere

habere quendam posse hanc distinctionem, si excipias casum, si valida Sponsalia concubitu firmata sunt. BOEHM. *Instit. I.C. l. c. §. 5.* Exinde patet, quantum errorem communiter errent, cum pluribus tum Theologis, tum Jctis, hanc Jur. Can. distinctionem cum nostra Jur. Civ. in Pura & Conditionata commiscentes, Sponsaliaque de Præs. eadem, ac Pura; de futuro autem eadem ac Conditionata, esse autumantes. Conf. *omnino supra laudata Dissert. Boehmeriana per totum.*

POSIT. III.

Stat itaque sententia, Sponsalia de Præsenti apud nos esse nonens, & omnia Sponsalia, sive pure, sive sub conditione inita, esse de futuro, quæ & ipsi Juri Can. tantum proprie Sponsalia dicuntur, quorsum & pertinet definitio Jcti *L. I. de Sponsal.*, quod sint *mentio & repromissio futurarum nuptiarum.*

POSIT. IV.

Hac stante hypothesi nec tam indissolubilia Sponsalia putanda esse constabit, ut plane dissolvi nequeant, uti Ddres communiter a vera interpretatione distinctionis Jur. Canon. in sponsalia de P. & de F. ablutentes, cumque illa nostra Pura ac Conditionata incongrue confundentes, de sponsalibus Puris asserunt. *Carpzov. Jurispr. Eccl. lib. 2. def. 133 seqq. & Jerem. Laurent. Mogius. tr. de Sponsal. cap. 2. rh. 4.* quos citat *Boehmer in supra laudata Diss. c. 2 §. 6.* uti jam *Stryk de Diss. sponsal. Sect. III §. 16 seqq.* latius evicit, ivitque demonstratum, contrasententium rationes principiis Papalibus inniti, quæ tamen nostratibus minus probata. Nec mirum, miram rei confusio-
nem oriri ex confusis Ddrem notiones diversas confundentium, verbaque, mente rejecta, juris Canonici retinentium conceptibus *BOEHMER. Inst. I.C. l. c.* Quum igitur explosum satis sit, sponsalia de Pr. ex mente Jur. Can. plane non dari, omnia Sponsalia consequenter nobis hodie esse de futuro, idèoque de his saltim nobis sermonem esse posse; facile apparet, assertionem Ddrem, qua Sponsalia Pura s. de Præsenti, quæ illis eadem habentur, pro indissolubilibus reputant, nec mutuo quidem dissensu dissolvi statuunt, haud quadrare ad Praxin nostram, cum nec amplius inter Pontificios obtineat. Quamvis enim firmam, ut omnia pacta honesta, producant obligationem ac
actio-

actionem sponsalia, (quæ tamen Jure civili ob repudiorum licentiam non dabatur. l. 1, C. de sponsal.) id tamen non ita intelligendum puto, ac si dirimi omnino nequeant. Possunt enim dirimi tum Pura, tum Conditionata, velut species sponsaliorum de futuro, utriusque partis dissensu, quod & ipsum Jus Can. clare innuit. c. 2, X. de Sponsal., quamvis non privato ausu, sed intercedente Judicis Ecclesiastici autoritate STRYK. *Uf. Mod. ff. Tit. de Sponsal. §. 23.* Non tamen indistincte, uti Jure Romano, alterutrius dissensu dissolvenda, sed distinguendum erit: num dissentiat pars ex legitima causa? & omnino dirimenda sunt, nulla desuper poena irrogata; num vero ex nulla vel saltem non legitima causa? & in regula dissolutio non concedenda, quia semel legitime contracta sponsalia firmam ad consummationem matrimonii inducunt obligationem, sed refractarius per excommunicationem, multas & carceres ad frangendam contumaciam adhibitos, ad ineundum matrimonium cogi potest. BOEHMER. *Inst. I, C. I. c. §. 13.* At enim vero, cum hic adsit obligatio ad faciendum, ad faciendum autem nemo cogatur, per notoria, matrimoniaque debeant esse libera, & coactiones difficiles frequenter soleant habere exitus, monenda potius erit pars refractaria, quam cogenda, bene monente Pontifice, c. 17. X. de sponsal., frustra que omnibus tentatis, quæ ad fidem datam servandam inducere possunt, dirimenda sponsalia erunt, vixque absoluta coactio decerni poterit, sed aliis coercendus poenis, & alteri ad præstandum interesse adstringendus refractarius est. Excipitur tamen in praxi ille casus, ubi quis sub spe matrimonii imprægnaverit quandam, tunc enim coactioni locus, ut & in contumaciam quasi, etiam absens, copulari possit. STRYK. *l. c. §. 21.*

POSSIT. V.

Prodit se quoque satis evidenter praxis papizans in doctrina de Concursu Sponsaliorum, ubi pariter ingens confusio, incongruaque applicatio decisionum Jur. Can. hincque infusæ conclusiones ex inconcinne applicatis principiis Papalibus resultant. Communiter hæc traditur regula: Sponsalia de Præsentis semper præferenda sponsalibus de futuro, si vel hæc priora sint: hanc regulam, quamvis de Jure Canonico veram,

A 3

in,

incongrue tamen applicant, sub illis Pura, sub his vero Conditionata intelligentes uti *Carpzov. Ipr. Consist. Lib. II. def. 70.* referente *Bohmero* in sæpe citata Dissertatione, statuit. Ast, quis non videt, hic ideas ac notiones plane diversas confundi, & fallere regulam adductam, si de Puris ac Conditionatis supponatur. Namque, bene notante *HOPPIO in Comment. ad Inst. p. m. 74.*, obligatio sponsalitia non pluribus est communicabilis, ideoque prius perfecta præcedunt posterioribus. Atqui in subsumptione Conditionata priora, quamvis sint conditionata, prius tamen sunt perfecta, quoniam conditio obligat ad expectandum, & existens conditio retrahitur ad tempus factæ promissionis; ergo quoque, posterioribus puris, ceu nulliter contractis, præferenda erunt. *BOEHMER cit. Diff. l. c. §. 10.* id quod probe quoque notavit *Prænob. Dn. Cand. Stever*, Fautor ac amicus meus singulariter observandus in *Diff. Inaug. de Ratione decid. a benedict. Sacerd. petit. Sect. I. §. 1.* sub Præsid. *Celeber. D. Mantzelii*, Patroni ac Mæcenatis mei colendissimi habita. Hoc tantum exempli instar adduxisse sufficiat. Quomodo autem in ceteris casibus hac in doctrina communiter proponi solitis incongrua Juris Canonici applicatio ad nostram praxin fiat, recensere superfedere possum, quum fusius ac solide id fecerit *BOEHMER. Diff. alleg. l. c. §. 10. seqq.*

POSIT. VI,

Consensum parentum in contrahendis Sponsalibus ac nuptiis adhibendum esse, & civilis & naturalis ratio svadet, *pr. J. de nupt. Hu* neque adhibendi necessitatem tum civile, *§. 12. J. eod. l. 2. ff. de R. N. l. 20. l. 7 §. 12. C. de nupt. §. c.* tum Canonicum *Jus c. 1. 4. C. 30. q. 5.* liberis imponit, adeo, ut hoc neglecto nulla ac irrita dicantur Sponsalia, cum quo coincidit *Ordin. nostra Consist. tit. Von Ehe-Gelübden ohne Verwilligung der Eltern.* Ad substantialia itaque matrimonii pertinet Consensus parentum: Quum igitur substantialia abesse, salva substantia negotii, nequeant; facile patet, neglecto consensu matrimonia esse nulla, ideoque dirimenda etiam jam contracta & concubitu firmata. *Mev. Com. ad J. L. lib. I. T. 4. Art. 2. n. 16.* Quamvis autem hæc conclusio satis firmo nitatur fundamento; mirandum tamen, hic quoque a genuinis principis

cipiis fieri divortium, placitaque Juris Canonici, quod de fa-
 cto contractum matrimonium eapropter non irritat *c. 6. X. de*
raptor. BOEHMER. Inst. J. C. l. c. §. 10. (quamvis alleg. *c. 6.*
 singularem casum continere, nec ad universale conficiendum
 axioma, extra. istum casum, adhiberi posse putet *HOPP. l. c. p. m.*
 78.) Sed ob Sacramenti rationem servandum censet, id quod &
 Trid. agnoverunt Sess. 24. de reform. c. 1. *BOEHMER. l. c. ibid.*
 ex diversis principiis facere sua praxin modernam, dum Spon-
 salia quidem, neglecto consensu, nulla; matrimonia autem
 contracta subsistere statuitur. *HOPP. l. c. in Us. hod. & ibid al-*
legati Ddres. it. Mev. l. c. ut ideo, hac præsupposita praxi, non
 adeo de necessitate, sed de honestate potius, requiri hodie con-
 sensus paternus mihi videatur. Quid aliud hæc conclusio ex
 principiis Jur. Can. petita arguit, quam praxin papizantem?

POSIT. VII.

Benedictioni Sacerdotali quoque tantus communiter tri-
 buit effectus, ut hæc ad Sponsalia accedente, illa dissolvi non
 posse putent, concludantque, si hæc ad sponsalia, posteriora quo-
 que, accesserit, ea prioribus præferenda esse, juxta principia Ju-
 ris Canonici *c. 31. X. de Sponsal c. 3. & sm. X. de spons. duor. CARP-*
ZOV. Ipr. Eccl. lib. 2. def. 66., quod tamen Concilium Trid. non
 admittit, si furtivæ nuptiæ contractæ, quæ pro matrimonio
 non habentur, *BOEHMER. Inst. I. C. tit. 4. §. 2.* id quod meri-
 to & a protestantibus recipiendum, *Idem l. c.* Namque, ut
 taceam *ισοπολογίαν* non ad esse absolutum matrimonii pertinere,
 sed tantum ad bene esse per ordinationes Eccles. requiri, non
 video, quo fundamento illi tantum robur ac efficacia tanta
 asseri queat, ut personas jungendas quasi conglutinet ita, ut
 separationi non superfit locus. Benedictio enim Sacerdota-
 lis matrimonium non inducit, nec, ubi nulla adest, ob vitium
 quo laborat, nullitatis, conjunctio, efficere eam poterit, nulli-
 tatesque sanare, sed valida tantum Sponsalia, & legitime con-
 tracta confirmat, ut legitimum evadant matrimonium. Præ-
 supponit itaque benedictio sacerdotal. legitime inita valida-
 que Sponsalia, ideoque ad Sponsalia nulliter contracta, ob
 priora jam contracta, quæ ideo prius perfecta sunt, accedens,
 nihil operabitur, cum accessit ad interdicitam legibus despon-
 sationem, quod probe jam observavit. *Hopp. l. c. p. m. 74. seq.*
 æqui-

æquitatem, quam *Carpzov. l. c.* crepat, cerebrinam vocans. Eadem quoque vis communiter & concubitu, si ad sponsalia, quamvis posteriora, accesserit, tribui solet, quod ex principio Juris Canon. *c. 30. X. de Sponsal.* quo Sponsalia de futuro transeunt in sponsalia de Præsenti, & Sacramenti matrimonialis perfectio in commixtione corporis quæritur *BOEHMER. Inst. J. C. tit. 3. §. 1.*, recte procedit; ast satis inepte ad fora nostra applicatur, cum Sponsalia de Præsenti, ut Supra deductum, nobis sint non-ens, nec unquam apud nos quævis, etiam privata & minus sollemnis, clandestinaque consensus declaratio ad inducendum matrimonium valuerit, nec amplius apud ipsos Pontificios, post Concil. Trid. valeat; ideoque, quum sermo sit de Sponsalibus concubitu firmatis, neququam asseri queat, quod per Concubitu in Sponsalia de Pr. transeant, si ea, ad quæ accessit, sint posteriora; præsupponit enim hoc assertum vulgatum & *c. alleg. 30.* sponsalia vera prima & valida, quæ si deficient, uti in nostro casu, ubi posteriora nulliter contrahuntur, non possunt transire in matrimonium, alias eodem modo dici posset, per quodlibet Stuprum statim fieri matrimonium, *BOEHMER. Diff. cit. l. c. §. 9.*

POSIT. VIII.

Referrî huc commode quoque posset receptio Computationis Juris Canonici in foris nostris, quæ sane papizandi amorem non ita obscure arguit. Multos enim tenet vana opinio, ac si hæc melior, materiæque matrimoniali convenientior esset, ac quidem illa Juris Civilis, quam tamen ego non faciliorem solum, sed &, sit verbo venia, naturaliore multo reor. Non autem ab omni absurditatis & *αλογίας* nota immunem esse Jur. Can. computationem, facile concedet, qui eam penitus examinaverit, ingenueque fatebitur. Ast non est, ut hic sim operosus in detegenda absurditate ejus, cum fufius id jam fecerit *SITHMANNUS in Idea arbor. Consangu. Cap. 2. Conf. quoque BOEHMER. I. E. Tom. IV. tit. de conf. & affin. §. 4. seqq.*, quorum B. L. ablegatum volo. Legi quoque meretur *BEZA de Repud. p. 13. seqq. RITTERSHUS. de differ. Jur. Civil. & Can. class. I. cap. 5. & ALBERIC. GENTIL. lib. 5. de nupt. cap. 6.*, quos allegat *MEVIUS. Comment. ad I. L. Lib. 1. Tit. 1. Art. 9. n. 8.*

POSIT.

POSIT. IX.

Eidem quoque papali principio, quod inculcat Jus Canon, matrimonium esse Sacramentum, hinc pro eo pronunciandum in dubio esse, nec eapropter dissolvi posse semel initum, adeo, ut ne quidem in casu adulterii, quoad vinculum dissolutionem admittat, c. 8. X. de divort. Conc. Trid. Sess. 24. c. 7., sed tantum in illo casu, si conjux infidelis fidelem detrat, c. 7. & 8. X. eod., difficultates illas circa nuptias prohibitas adscribendas puto. Quo enim fundamento niteretur eorum, d. d. doctrina, qui statuunt: nuptias, etiam si Juri divino contrarias, contractas tamen de facto, potius subsistere ac tolerari debere, quam rescindi, nisi adducto illo papali? quod incongrue sequentes, & applicantes, nimium matrimonii favorem crepant, sicque per indirectum saltem papalia principia, quamvis ideam Sacramenti respuant, fovent, dum decisiones ex hoc principio, negato licet, tamen revera petunt. Quæ enim ratio alia suppeditari potest, quare nuptias incestas Divino Jure prohibitas dissolvendas non esse statuunt, etiam si una pars ipsa separationem petat, nisi conjuges utriusque separationem ipsi petant? uti docet SCHRADER, *de Caus. for. Eccles.* §. 84. *ibique not. B.* allegati, it. STRUV. *Exerc. 29. th. 50.*, & quos ibi allegat. Distingvunt quidem inter nuptias nefarias, quæ contra Jus Naturale, & incestas, quæ contra Jus divinum positivum & Gentium, & has quidem, si contractæ, non dirimendas statuunt; illas autem omnino dissolvi debere, STRUV. *l. c.* & SCHRADER. *l. c.* §. 82. & 83. qui tamen adhuc ultimam assertionem, quod ad nuptias nefarias, limitat, nisi delictum sit occultum, *d. §. 83. not. A.*, ubi subjungit casum, ubi filius ignorans cum matre concubuerat, & ex hoc coitu filiam susceperat, quam postea, nesciens esse suam filiam, in matrimonium duxerat, matre consentiente; quo de casu consulti; Erfurtenses pro tolerando hoc matrimonio pronunciassè referuntur ex Lutheri *Eisch-Reden* n. 205. *ab Eod. l. c.* hoc ratiocinio usi: *Weil es heimlich, und sonst eine gute Ehe wäre &c.* Sed cordatius qui sentiunt, facile concedent, neglecta adducta distinctione, semper matrimonia, sive Naturali, sive divino positivo jure prohibita, dissolvenda esse, & huc haud incongrue applicari posse

B

posse mihi videtur, quo d MEV. l. c. lib. I. tit. 4. art. 1. n. 9. sqq. afferit: *in dubio quidem pro matrimonio pronuntiandum, sed eo nos abuti censendum esse, si vellemus pro matrimonio pronuntiare, ubi de ejus Substantialibus perfecte non constat, & paulo post: Non nimis peccatum esse jungere non jungendos, quam separare bene junctos. Quare & dissolutionem in ejusmodi casibus urgent.* HOPP. *Comm ad l. p. m. 98. 99.* BRUNNEM. *I. E. L. 2. c. 16. § 27. ibique* STRYK. *alique ab Hoppio l. c. allegati.* Quid enim obstat, quo minus nuptiæ, contra leges prohibentes contractæ, pro irritis declarantur, cum nulliter contractæ sunt; ideoque, quoniam, ob prohibitionem divinam nullo nituntur juris vinculo, non adeo dissolvuntur, quam potius, ut pote ab initio nullæ, pro nullis declarantur.


POSIT. X.


Sunt adhuc alii, qui non quidem nuptias expresse Jure Divino prohibitas, subsistere debere ac tolerandas statuunt; non dirimandas autem non expresse prohibitas putant, uti STRYK *Us. Mod ff. tit. de R. N. §. 22.* ubi distinguit, an nominatim sint prohibita nuptiæ, an vero non? si nominatim prohibita, etiam jam contractas dissolvendas statuit; sin autem non nominatim, distinguendum esse censet: an res adhuc integra? & dispensationem nullam obtinere; an vero non amplius integra? & potius tolerandas nuptias afferit, idque subnexo præjudicio confirmat. Sed quid opus hisce ambagibus? Indistincte enim pronuntiandum puto contra ejusmodi matrimonia, sive nominatim sive non nominatim sint prohibita, si nimirum, uti verior ac probatissima sententia est, supponimus: Deum Lev. XIX. non personas, specificè, sed quoque gradus simul prohibuisse. Consequenter, ubi eadem, a DEO subnitiuum generaliter præmissa ratio: Nemo adpropinquet ad carnem carnis, sive nimia proximitas, quæ sola a DEO ratio prohibitionis adfertur, quadrat, ibi quoque eadem dispositio prohibitiva obtinere debet, ut itaque nulla locum invenire queat distinctio inter nominatim & non nominatim prohibitum esse, sed semper eadem prædicata, eademque decisiones adhiberi observarique debeant. Rem itaque totam hoc complector ratiocinio: Aut matrimonium prohibitum est, idque idem est, an expresse, an implicite f. com.


comprehensive; aut non est: Si est, indistincte & contractum dissolvendum, seu potius, pro irrito declarandum, & contrahendum non concedendum est; si non prohibitum, contrahendum pro re nata aut dispensando, aut absque dispensatione concedendum, & contractum continuandum nec dissolvendum est. Toties autem matrimonium pro non prohibito censendum puto, quoties ratio illa generalis, scil. nimia propinquitas, per subnexa exempla ad certos gradus restricta, illi applicari nequit. Si igitur ex. gr. quæris: Num matrimonium cum Gloræ sit prohibitum, an vero non? respondeo prohibitum esse, quoniam ratio illa divina huc quadrat, nimia scil. propinquitas, quam divinus Lator ad hunc gradum quoque extendit, dum, per exemplum simile in hoc gradu, indiguit, sibi ejusmodi matrimonia, ob nimiam propinquitatem, non probari. Nec ob stare puto v. 18. Lev. XIX., quem tamen explicare instituti mei non est, vid. interim. BUDD. *Theol. Mor. P. 2. Cap. III. Sect. 6. §. 13. not. ult.* SITHM. *l. c. cap. 6. n. 6. seqq.* SCHRADER. *l. c. §. 38. Et not.* KILIAN. RUDRAUFF *Sylog. Controv. Theol. de Conjug. Q. 6.* Neque stringunt rationes in contrarium adductæ, ac si in casu substrato diversitas esset rationis, & quod major sit turpitudine, si duo mares in unum uterum semen immittant, ac si duæ feminae, si sorores quoque sint, successive unius fierent uxores: quod distinguendum sit inter activum & passivum, & quæ sunt reliqua. At divinae si in hæreo rationi a nimia propinquitate desumptæ, (alias enim rationes fictitæ & Llatori divino non probatas, non agnosco) facile hæc dubia mota corruunt. Hæc autem huc quoque quadrat, quia in simili gradu per exemplum v. 16. Lev. XIX adductum, illa, ceu fundamento prohibitionis usus est DEUS; proinde quoque eadem obtinebit prohibitiva dispositio. Et fictitiam reputo rationem adversantium, dum disparitatem in seminis mixtura, si scil. duo in unum uterum semen immitterent, quærent; Namque hanc rationem DEO fuisse probatam, quis docere poterit? cum potius unicam illam v. 6. d. Cap. regulæ generalis instar ponit, illamque postea exemplis subjunctis illustrat, & tum ad consanguinitatis, tum affinitatis gradus, ut pote quos in uno contextu unius capitis, absque ulla nova supposita ratione, extendit,

dit, ut ideo non adeo ad Seminis mixturam, (quæ an Physicis pro-
betur? dubiro) quam potius ad nimiam propinquitatem in genere re-
spiciendum sit circa prohibitionem graduum. Sed forte hæcce ri-
mando, abludo a scopo meo, qui est, ut ostenderem, etiam in hoc
casu, dum tam difficiles plurimi se præbent in dissolvendis matrimo-
niis, eumque in finem varias distinctiones excogitant, luculenter ap-
parere vestigia papalium errorum.

At hic mihi subsistendum erit, ne propositum unius pla-
gulæ excurrat spatium, & ne finis hujus Scriptionis videar imme-
mor, ad finem, qui est, ut *Tibi, Vir Consultissime*, Nuptias *Tuas* fidere
fausto contractas, animitus, pro ea, ac debeo, in *Te* pietate, gra-
tuler, propero, in pio tandem ac devoto desinens voto, velit quod
omnis amoris casti, fœderisque conjugalis autor est, Numen divi-
num hanc *Vestram* læto ac felici omine, divinis sub auspiciis, initam socie-
tatem divina sua clementia ac benedictione beare, eamque perpetua vo-
luptate, perennanteque jugiter salute omnigena florentem, crescen-
tem atque refertam stare perpetuoque durare clementissime jubere,
quo fructus amoris atque amplexus conjugalis latos ac dulcissimos
percipere dia queatis, Vobisque exinde tam cara amoris pignora lu-
crari liceat, quæ & *Vobis, Parentibus optimis*, digna, & Reipublicæ
proficua sint, ut hæc habeat, quod de *Vobis, Vestrisque* pariter ac
futuræ prolis in se meritis sibi gratuletur. Amplectere *Tuam, Vir*
Prænobilissime, thori Sociam Suavissimam, vive beate cum *Illâ*. ac æ-
tatem *Tuam* transige. providæ Numinis divini curæ commendatus,
feliciter & cum voluptate. Faxit Summum Numen, ut inter mor-
tales sero sis mortalis. Servet *Te* Reipublicæ in primis nostræ Ro-
stochiensis, ut ex *Tua* eruditione, dexteritate & fide emolumenta
capiat insignia: Servet *Te Genti Splendidissima*, ut de *Tua* felicitate
habeat, quod gaudeat, lætetur: Servet *Te Neo nuptæ conjunctissime*,
ut illi *Tuo* amore *Tuisque* amplexibus frui ad sera æva liceat: Servet
Te Genti Beselinianæ illustri, (quam devotissima egomet admiror ve-
nerorque mente, cujusque nominis gloriam ulterius DEUS ampli-
ficet, augeat, ac nunquam interituram servet,) quo & hæc de
tanto *Genero*, se dignissimo, per multa temporum spatia adhuc gra-
tulari queat: Servet *Te* denique mihi, *Tibi* addictissimo, quo & mi-
hi adhuc ulterius *Tuo* patrocinio, benevolentia ac favore uti frui
liceat tam esse beato. Vale, Patrone Optime, vige, flore,
mihique & meis conatibus favere ne dedignare. Vale.







dit, ut ideo non adeo ad Seminis mixturam, (quæ an Physicis pro-
beretur? dubito) quam potius ad nimiam propinquitatem in genere re-
spondendum sit circa prohibitionem graduum. Sed forte hæcce ri-
tando, abluo a scopo meo, qui est, ut ostenderem, etiam in hoc
dum tam difficiles plurimi se præbent in dissolvendis matrimo-
eumque in finem varias distinctiones excogitant, luculenter ap-
vestigia papalium errorum.

hic mihi subsistendum erit, ne propositum unius pla-
at spatium, & ne finis hujus Scriptionis videar imme-
p, qui est, ut *Tibi, Vir Consultissime*, Nuptias *Tuas* fidere
as, animitus, pro ea, ac debeo, in *Te* pietate, gra-
in pio tandem ac devoto desinens voto, velit quod
fæderisque conjugalis autor est, Numen divi-
ac felici omine, divinis sub auspiciis, in tam socie-
tia ac benedictione beare, eamque perpetua vo-
luptate, jugiter salute omnigena florentem, crescen-
tem atque perpetuoque durare clementissime jubere,
quo fructu complexus conjugalis latos ac dulcissimos
percipere di- ne exinde tam cara amoris pignora lu-
crari liceat, quibus *optimis*, digna, & Republicæ
proficua sint, ut *de Vobis, Vestrisque* pariter ac
futura proles in *Te* ruletur. Amplexere *Tuam, Vir*
Prænobilissime, thori nam, vive beate cum *Illâ*, ac æ-
tatem *Tuam* transige, *Te* divini curæ commendatus,
feliciter & cum voluptate Numen, ut inter mor-
tales sero sis mortalis, *Te* *Reipublicæ* in primis nostræ *Ro-*
stochiensis, ut ex *Tua* eruditione & fide emolumenta
capiat insignia: *Servet Te* *Gentis*, ut de *Tua* felicitate
habeat, quod gaudeat, lætetur. *Servet Te* *Reipublicæ* *con-*
ut illi *Tuo* amore *Tuisque* amplexibus *Te* *Reipublicæ* *con-*
Te Genti Beseliniana illustri, (quam *Te* *Reipublicæ* *con-*
nerorque mente, cujusque nominis *Te* *Reipublicæ* *con-*
ficet, augeat, ac nunquam interitura *Te* *Reipublicæ* *con-*
tanto *Genero*, se dignissimo, per multa *Te* *Reipublicæ* *con-*
tulari queat: *Servet Te* denique mihi, *Te* *Reipublicæ* *con-*
hi adhuc ulterius *Tuo* patrocinio, benevole *Te* *Reipublicæ* *con-*
liceat tam esse beato. Vale, *Patrone* *Te* *Reipublicæ* *con-*
mihi que & meis conatibus favere ne ded-

